

09/11

M-s. 204

327.

Der Inhalt entspricht folgenden Nummern der Originalien
Sammlung.

V c (Ostliniens-Programme) 494. 489. 504. 499. 498.

V c (Johannschüler) 673. 674.

V c 493. 500. 497. 502. 504.

V c 672.

V c 498.

V c 669.

V c 507. 501. 505. 444. 501. 484.

V c 675. 662.

↓
Altes Programm
vom Jahre 1430.

F. A. v. Max
1833



16500 9

DIATRIBE PRIOR
QVA DE
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
APOPHTHEGMATVM
OPERE

IN PRIMIS DE HVIVS IPSIVS EXEMPLARI
QVOD BEATISSIMVS VIR
D. MARTINVS LVTHERVS

OLIM POSSEDIT
CVIQQVE IS IPSE COMMEMORABILIA ADSCRIPSIT NON NVLLA

QVAEDAM DISSERIT
QVI SINGVLARIS HVIVS LIBRI IAM POSSESSOR EST
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTEL
PAST. AD AED. SPIR. S. ET MART. RECT.

SIMVL ET AB EODEM
AD EXERCITATIONEM
ORATORIAM

IN MARTINEO HALBERSTADIENSI
A. D. XVI. NOVEMB. HOR. IX. ANTEMERID. CIOIOCCIII. DEO AVXILIANTE
INSTITVENDAM


REI SCHOLASTICAE CVPIDISSIMI
OBSERVANTER ATQVE HVMANISSIME INVITANTVR

HALBERSTADII LITTERIS FRIDERICIANIS.



Synopsis.


Finis naturalium non modo rerum, sed ad hominum etiam mores pertinentium possunt et debent indagari, §. I. Scopum ad hunc nostrum perducimur per notiones distinctas, atque per demonstrationem, et quid haec sit §. II. Ingenia hominum non semper demonstrationes capiunt acutas; hinc moralia tradendi ratio excogitata est faciliior quaedam, et quotuplex illa sit, §. III. Mundi moralis atque naturalis contemplatio accurata menti nostrae inseruit emendandae, §. IIII. Temporis rationes, occasiones uariae nobis oblatae, et alia quam plurima ad dogmata nos perducunt moralia, §. V. Referuntur huc apophthegmata, ea praecipue, quae ad bonos mores faciunt, §. VI. Erasmi apophthegmatum opus iure laudatur, cuius is ipse, non uero Manutius, fuit auctor, §. VII. Erasmus erat uir de liberalium artium disciplinis longe quidem meritissimus; sed uir parum religiosus, qui Luthero in sacris emendandis opitulari noluit. Causa tergiversationis huius quae fuerit §. VIII. Patefecit hinc etiam dolorem, quo animus Erasmi improbus ipsum adfecerat, in iis, quae Erasmi operis apophthegmatum exemplari suo adscripsit Lutherus merito expendenda, §. VIII.



§. I.



AD optimas disciplinas artesque ingenuas si appellimus
animum, considerate nobis ac sapienter numquam non
est agendum, scopusque ob oculos sollicitè consti-
tuendus. Hinc menti sit nostræ, in diuinarum hu-
manarumque rerum peruestigatione, præfixus finis, quum ulti-
mus ita dictus, qui supremi numinis uult amplificari gloriam,
nostramque et aliorum hominum felicitatem beatitudinemque procu-
rari; tum etiam intermedius, a metaphysicis ita appellatus, qui ueri
bonique solida uiuaque est cognitio. Voti nostri fieri nos compotes,
non sine maxima animi intelligimus uoluptate, quando fines omnium,
quæ in hac eueniunt uniuersitate, exploramus. Naturalium rerum
fines, quos illarum conditor sibi statuit, ut inquirantur, concedere
noluit, qui sæculum abhinc elapsum extinctus est, **RENATVS**
CARTESIVS; cui uero philosophi ad unum omnes hodie re-
fra-



fragantur. (*) Rerum uero ad hominum mores pertinentium fines indagari posse et debere, tanto est exploratius, quanto certior est utilitas atque illustrior, quae in uita communi ac sociali exinde quotidie est percipienda.

§. II.

PRIMO adspectu id, quod uerum est, et uniuscuiusque rei finis, non statim perfecte planeque cognoscitur, quum, PHAEDRO *lib. III. fab. I.* recte iudicante, *non semper ea sint, quae uidentur, et frons prima multos decipiat*; ut improuidi incertum pro certo, nubemque, quod aiunt, pro Iunone amplectantur. Recti enim bonique quod prae se fert speciem, praeconceptis opinionibus, prauis animi commotionibus, temperatione corporis, animi indole, aliisque praeterea, abrepti, ad id omne mortales stolidissimi rotos se fingunt atque accommodant. Proinde multae operae atque laboris res est, lumen ueritatis aliorum ita porrigere intellectui, ut hominum omnino conuincantur animi. Namque uel experientiae sensuumque ope ad notiones distinctas et uniuersales, siue definitiones, eos perducimus; uel in iis, quae optamus, per demonstrationem efficimus; quae, quod inter omnes constat, probatio propositionis alicuius est, certis et indubitatis innixa principiis. Eandem uero ipsam esse demonstrationem partim analyticam, partim syntheticam, logicorum praecepta uberius quemlibet condocent.

§. III.

(*) Cartesium, qui, fines rerum naturalium diuinos indagare, philosophis licitum esse negauit, hoc ipso confutauit anno in academia lipsiensis *M. 10. DAN. TITIVS* in schediasmate, quo exhibet *inuestigationem finium diuinorum circa res naturales necessariam, aduersus Cartesium, Princ. philoso. I. 28. III. 2.*

§. III.

NON uero res, tempus, locus, et facultates semper permittunt, ut argumentis solidioribus, e philosophorum placitis, uel potius e scriptura diuiniore, praecipuo cognitionis nostrae fonte, depromtis, remote, ac longa circuitione et anfractu, adductis, uel modo proxime petitis, ad hanc illamue uirtutem praestabilem et insignem alios compellamus, aut ad praeclara opera inchoanda et perficienda exstimulemus. Res, ad mores externos in uita ciuili ratione utilissima obseruandos, quae pertinent, maiori saepius ad eas erudiendorum emolumento, breuioribus perceptuque facillimis uerbis sunt efferendae: quum, experientia teste, plerorumque hominum ingenia aut rudiora, aut minus alacria, aut aliis rebus contemplandis nimis obruta, demonstrationes acutissime philosophantium sua non comprehendant cogitatione.

Quapropter moralia tradendi ratio est facillior, qua non nulli utuntur, qui doctrinas morales, *sententiis* breuiter, acute perspicueque dictis, proposuerunt; quos inter, ut de uariarum gentium scriptoribus nihil dicamus, debere septem Graeciae sapientes, in primis Salomonem, atque Siracidem, referri, nemo paullo sagacior est, qui non uideat. Nec minus euilibet acceptissimam fuisse, credibile est, Aegyptiorum ueterum methodum, qua per *imagines*, sub oculis statim cadentes, quidquid ad bonos mores requirebatur, exhibuerunt; cui aequiparanda est illa *symbolica*, itidem pressa, quae Pythagorae, eiusque discipulis, fuit in deliciis. Adiungimus huic *mythicam* illam moralia sine ambagibus instillandi rationem, quae, dici non potest, quantum ualeat in animis hominum ad uirtutis exercitia excitandis. Quod fictae efficiunt fabulae, id multo magis
A 3 praec-

praestare *exempla*, sine uerbositate prolata, docet huius illiusue auctoris ethica paradigmatica, siue historica. Nec illam contemnendam esse, sed potius, tamquam breuem et apertam, ideoque non iniucundam, praedicandam, nobis persuademus uiam, qua alios ad illam de moribus philosophiam, ope perducimus *dialogorum*. Socratem atque Platonem quod praecipue Galli hodierni feliciter fuerint imitati, immo quod utrumque philosophum superauerint, nisi rei litterariae ignarum, praeterire potest neminem. An uero per *satyras*, in quibus unum alterumue dictum aculeatum et ioculare alios pungit, et quarum scriptores, ut nihil de recentioribus commemoremus, iam olim Petronius, Horatius, Iuuenalis et Persius fuerunt, pravae hominum mentes immutari, et ad uirtutem inflecti, possint; id ut largiamur, a nobis, qui teneritatem atque mollitiem humanae naturae pernoscamus, numquam impetrabimus.

§. III.

SATYRICI quum aliorum animos in se exacerbent potius, quam uitiosas mortalium consuetudines funditus euertant: alia, praeter iam commemorata, circumspeciamus, quibus aditus ad aliorum animos salutariter excitandos patefiat faciliior atque breuior. In *mundo* aequae *moralis* atque *naturalis*, quidquid est obuium, et quocumque uenit nomine, meliioribus occasionem offert cogitationibus, mentique nostrae emendandae. Rem si respexerimus ad creatam omnem, in caelo atque in terra, huiusque regno triplici notissimo, diuinae potentiae, sapientiae ac bonitatis indicem: supremo rerum moderatori, sine diu durante cogitationum minus quietarum circumactu, haec nos subijciet statim consideratio; efficietque, ut ipsi,
tam-

tamquam ductori uitae nostrae praestantissimo, rationes nostras protinus committamus confidentissime; ex eodemque, fonte largissime scaturiente, quodcumque salutare fingi potest, deriuemus. Atque quum, Deum et naturam nihil facere frustra, satis superque intelligimus: tum etiam eundem uelle, ut in hominum actionibus, in rebus ciuilibus, sapienter et ingeniose excogitatis, pulchre et artificiose factis, cogitationes non solum nostras desigamus; sed ut ea etiam attendamus, sine anxia quidem laboriosissimaque cogitandi ratione, quae aestimanda sunt pulcherrima, quaeque unice agenda; id dubitare sanae mentis credimus neminem.

§. V.

SVMVS in tempore. Quale igitur illud sit, quid in eo contingat, quid ex eiusdem rationibus sit sperandum, aut metuendum, quidque ex ipsius monitu agendum sit, aut fugiendum; non nunquam quidem sollicito debemus exquirere; saepius tamen a nobis uel ludibundis potest cognosci. Nec difficilior erit ratio saniores in temporis, rerumque huic iunctarum, usu locandi cogitationes. Ad bene diuinaeque uoluntati conuenienter uiuendum, suggerit nobis aliquid uel tempus uitae breue et omnino incertum, uel quibusdam nimis longum uisum; saepe etiam tempus uel optatum et tranquilum, uel luctuosum et perturbatum. Modo ingruit tempus, quocum coniectum est caelum turbidum et procellosum; modo aliud, quod est serenum, et forma quasi liberali. Quod quemadmodum nos exhilarat: ita priore loco dictum minime indigne feramus, diu quamuis continuans. Tempus etiam praeteritum, in monumentis
anti-

antiquis si ob oculos ponitur, multa nos monere commoda ac salutaria, nemo, qui res omnes perpendere consuevit, diffitebitur.

Vt uero futuro beate uiuamus tempore, quauis *occasione*, fronte capillata, recte utamur. Si occasio datur de rebus ad pietatem hominum animos adlicentibus, cum iis colloquendi, aut alteri, siue nobis amico, siue inimico, benigne faciendi, captemus eandem auidissime. Quumque in primis ex iis, quae in uita accidunt communi, quaeque ex litteris percipiuntur publicis, pios conferendi sermones optatam nanciscamur occasionem: eandem, forsan non iterum nobis obuenturam, haudquaquam amittamus.

Occasione uero etiam nobis uti liceat, unam adhuc atque alteram in mentem statim incidentem, priusquam ad propositum ueniamus, commemorandi uiam, qua ad dogmata moralia, sine logicis demonstrationibus, non cuiusuis hominis ingenio accommodatis, quilibet, uel homo simplicissimus, possit perducī. Si audimus de huius illiusue gentis *ritibus* singularibus, datur saepe locus pluribus cogitationibus multo saluberrimis, nec longe quaestis; nemini tamen peruicaciter quasi obtrudendis. Ita etiam, ut adhuc quaedam exempla adducamus, conspicamur quandoque acute excogitata *emblemata*, *monetas* antiquas, *numismata* rariora et singularia, rem aliquam gestam exhibentia, principum *insignia gentilitia*, et alia quam plurima, quibus, qui nobiscum uersantur, doctrinarum utilissimarum possunt commoneferi. Quid uero, praeter sententias graues et acutas, quarum iam supra fecimus mentionem, *prouerbia* uetustate et sermone contrita, sacra et profana, apud Hebraeos, Graecos, Latinos, Germanos, Gallos, aliasque gentes quam plurimas, in animis

mis aliorum ualeant commouendis, fugere id posse arbitramur
emunctioris naris neminem.

§. VI.

RETVLERIMVS huc *apophthegmata*, quae nomen habent a graeco uerbo ἀποφθέγγεσθαι, sententiose dicere, paucis multa comprehendere, ut GVILIELMVS BVDAEVS in *dictionary graecolatio* transfert. Magnum haec ipsa uox pondus habens occurrit *act. apost.* cap. II. comm. 4 et 14, nec non cap. XXVI, comm. 25. Atque memorabile est, quod adnotat ad primum locum summe uener. IO. FRIDER. BVRGIVS, *im Geist und Leben*, parte II. pag. 15. Sunt igitur apophthegmata principum, philosophorum, ac diuersi generis hominum, lepide dicta, uti ERASMVS in opere suo huc pertinente statim initio latine appellat; quae, hac uel illa suppeditata dicendi materia singulari, proferuntur; non communi hominum usu recepta; sed prudentioribus modo cognita, eaque de causa a sententiis et adagiis probe distinguenda. *Habent apophthegmata*, uti Erasmus in epistola nuncupatoria, pag. 5 operi suo mox laudando praemissa, loquitur, *peculiarem quamdam rationem et indolem suam, ut breuiter, argute, false et urbane cuiusque ingenium expriment. Siquidem ut singulis hominibus, ita singulis nationibus, suus quidam genius est. Vnde fit, ut alia conueniant Alexandro, alia Philippo aut Antigono, alia Phocioni, alia Alcibiadi; rursus alia quadrent in Laconem, alia in Scytham aut Thracem, alia in Atheniensem, aut in Romanum.* Et pag. 9 haec addit: *apophthegmata ut cum uoluptate discuntur, facileque insidunt animo: ita longe plus habent philosophiae in recessu, quam prima fronte praeseferunt.*

B

Non

Non uero hic intellecta uolumus quaenis apophthegmata in Erasmi collectione, in IOSEPHI LANGII *florilegio*, in ZINC-GRAEFII, GOVLARTII, LYCOSTHENIS, aliorumque, *apophthegmatum* thesauris obuia, quae saepe rifum mouent, et homines efficiunt nasutos, praeterea uero parum aut prorsus nihil profunt; sed talia, quae, ex scopo orationis huius nostrae totius, ad bonos mores non nihil faciunt effingendos; uel quae, quum ingeniose dicta sint, facilius animaduertuntur, citiusque animos hominum peragrant. Non possum, quin exempli gratia huc transferam singulare dictum principis palatinae, quae ultimi ex gente simmerensi electoris Caroli soror erat, quaeque, quum non nulli ipsi persuaderent, ut connubium iniret cum duce aurelianensi, dixit: *agna igitur ego habeor pro bono publico immolanda: quod Deus bene uertat!* Longe uero rectius fecisset haec princeps, si, transire gloriam mundi passa, purioribus sacris mansisset addicta; sique uera seruatoris cognitio uiua efficacque in ipsa facta fuisset. Tunc o quam praeclara proditura fuissent ex ore ipsius apophthegmata. Caeterum ab apophthegmate diuersum plane esse *symbolum*, (*Leib: Denk: oder Wahlspruch*) dictum acutum, breue et eximium, quod sibi quis unum e reliquis elegit, ad praecipuam animi propensionem indicandam, id monere propemodum est superuacaneum.

§. VII.

QVAE Erasmus publici fecit iuris scripta, inter ea non infimum tenent locum *uariorum apophthegmata*, ab ipso in unum opusculum elegantissimum coagmentata. Quantus hic ipse fuerit uir, quaeque in re litteraria praestiterit, historicorum loquuntur monumenta.

Inter

Inter quos memorasse sufficiat duo, PETRVM nimirum BAE-
LIVM, in *ditionario historico atque critico*, et SAMVELEM
KNIGHTIVM, quorum uterque in uita Erasmi describenda par-
tes suas peregit feliciter. Iure etiam suo IACOBVS BRVCKE-
RVS, in *histor. philosf. germ. min. tom. VI. pag. 20.* Erasmus no-
strum quodammodo reponit in philosophis. Atque ingenii subtilitas
et acumen in scriptis eiusdem conspicuum effecit, ut haec ipsa aliquo-
ties fuerint recusa; quae inter lectu iucundissima *encomium moriae* est
referendum; cuius etiam, ex nouorum litterariorum altonauensium
relatione, tom. I. pag. 632. danica prostat translatio, anno 1746.
publicata. Quemadmodum uero, quorum neutiquam auctor est,
scripta non nulla huic uiro maximo fuerunt tributa, uti Baelius re-
fert in eius uita loc. cit. in not. littera Y: ita praeclarum apophtheg-
matum librum per inuidiam a romanensibus quibusdam, in editione
colonensi, quae anno 1666 prodiit, Paulo Manutio esse adiudica-
tum, craso Erasmi nomine, narrat DAN. GEORG. MORHO-
FIVS, in *Polyhistore, tom. I. libr. I. cap. XXI. §. 55.* Proprieta-
rium uero, uti iureconsulti loquuntur, siue legitimum dominum,
non quidem multorum praediorum, sed quam plurimorum apophtheg-
matum, in unum locum comportatorum, esse Erasmus nostrum,
teste coaeuo, omnique exceptione maiore, Luthero, deinceps com-
probabimus.

§. VIII.

QVO uero maior erat Erasmus noster atque admirabilior in
rerum excellentissimarum, diuinarum non minus, quam humanarum,
cognitione; eo minor erat et miserior, ipsius si respexeris religionem,

pietatisque in Deum et seruatores exercitum. In promptu quum iam non habeam IO. ALB. FABRICII *de Erasmi religione* libellum: dicam, pro intellectus mei uirium tenuitate, quae de Erasmo parum religioso sentiam, quaeque huc facere mihi uideantur; ita quidem, ut mihi non soli credam, sed simul uestigia persequar sagacissimi Lutheri, quem, quid de eruditione ac religione statuendum sit Erasmi, minime fugiebat. Huius uiri ingenii dotes fuisse sane praeclaras, eiusque hinc eruditionem plurimi esse faciendam, ipse noster ingenue fatetur Lutherus in grauioris argumenti epistolis ad Erasmus datis. Quae lectu iucundissimae, simul cum iis, quibus Erasmus Luthero humanissime respondit, adiectis utriusque scriptis polemicis, quibus deinde alterum alter adortus est, euoluenda omnia praebet operum Lutheri, ex editione halensi recentissima, tomus XVIII. a pag. 1944 usque ad pag. 2483. Neque etiam inficiari quisquam poterit, in munienda uia ad sacra, a corruptelis repurganda, inque huius praeclari operis obstaculo quodam remouendo, turpi nimirum rerum utilissimarum ignoracione, in qua, qui theologi tunc uolebant existimari, uersabantur, operam Luthero tribuisse eximiam laudatissimum Erasmus.

Interim tamen hic ipse uir iusto moderatior, qui euangelicos cum romanensibus conglutinari uolebat, in suspicionem a Luthero uocabatur, qui eundem inter homines epicureos, subtiliores licet, referre nullus dubitauit. Non Erasmo offenditur solum Lutherus, quod egregia naturae dona ad regnum seruatoris, non eo, quo deceat, animi feruore, conferat amplificandum; sed id in primis Luthero adfert aegritudinem, quod Erasmus multiplex habeat ingenium

ac

ac tortuosum, qui sibi Deum et religionem propemodum habeat pro deridiculo et delectamento. Hac tanta de animi peruersitatis infimulatione, quam hinc inde in *colloquijs Lutheri conuiualibus* modo legimus, quid sit censendum, nostrum iam non est disquirere. Id tamen est certissimum, obsequentem fuisse Erasmus, non crassiori quidem, sed subtiliori, cuidam uoluptati; in quo, qui ipsius perlustrant scripta, colloquia maxime, et morias encomium, nobis suffragabuntur; adiuncta praesertim ex tom. III. *obseruationum balensium* uigesima prima, quae b. IO. FRANC. BVDDEVM agnoscit auctorem. Erasmi igitur ingenium, temperamentum, et animus, neque in romanensium, neque euangelicorum, partem propendens, atque molimina illius uaria, Lutherum fecerunt suspiciosum, et ad iudicia de Erasmo acerbe lata impulerunt. Pignit certe Lutherum, et quis est, quem non adhuc hodie pigeat, huic nostro sacrorum emendatori subuenire et opitulari potuisse Erasmus; eum tamen ipsum, uel aliorum consiliis callidioribus deceptum, uel animi motibus, nescio quibus, abreptum, id facere renuisse.

Quapropter si ex ueritate Erasmi ingenium aestimamus, erat hic magni nominis uir omnino is, qui penitus intelligebat ea, quae sanctioribus litteris patefacta sunt, quibusque ad caeli perducimur compita: sed idem, negotiis rem litterariam spectantibus indefinenter districtus, non sufficiens sibi tempus sumsit ad nouam in semet ipso experiendam creationem, siue mentis salutarem immutationem, cuius diuinus uates, psalmo quinquagesimo primo, commate duodecimo, iniicit mentionem. Quumque hac de causa composito renouatoque destitueretur spiritu, factum est, ut, semper titubans, hac sua animi inconstantia ac mobilitate caussae Dei uehementer officeret, ac Lutherum dolore adficeret, ingenuum maxime, et uere religiosum.

§. VIII.

IVSTVM hunc dolorem suum, caelestium incolarum sedem iam dudum consecutus, quondam etiam prodere uoluit in iis, quae ERASMI *apophthegmatum operis* exemplari, quod in sua habebatur supellectile libraria, consulto adscripsit Lutherus. Locum hic ipse liber obtinere potuisset haud extremum in Lutheri *reliquiis*, magni quidem faciendis, cultu uero superstitioso neutiquam profequendis; quarum tabellas uir magnificus, deque Lutheri operibus immortaliter meritis, IO. GEORG. WALCHIVS, (cui, ob fidem singularem in docendo nobis quondam praestitam, huius et futurae uitae emolumenta ardentissime precamur) operose exhibet. Sed quum nec uiro longe celeberrimo aliquid potuerit constare de mea huius libri possessione; nec mihi de hoc, in uita Lutheri, recensendi eius reliquias instituto praeclaro: non dubitamus, fore non nullos operum Lutheri Halae publicatorum possessores et aestimatores, qui, quum hanc scriptionem meam legerint, debito loco hunc librum a Luthero possessum, non rarum, sed *unicum*, (*) et modo semel obuium, adnotare non dedignentur.

Vindicat uero sedem tamquam propriam hic ipse liber haudquam contemnendus tomo XXVIII. in uita Lutheri, cap. I. ubi tractatur a §. CV. usque ad §. CXI. de reliquiis eius, nimirum de domo, qua natus est, islebiensi, cellula et sponda magdeburgensi, de suggestu, cathedra et sepulcro Lutheri apud uitembergenses, de annulo aureo encausto, qui Dresdae adseruatur, aliisque plurimis. Speciatim uero eodem capite de Lutheri bibliotheca a §. CXII. usque ad §. CXVIII. agitur, quae, quod credibile est, post Lutheri obitum

(*) Respicimus hac uoce ad rem nummariam, qua numi rarissimi dicuntur *unici*, ideo, quod uix in uao uel altero cimeliarcho reperiuntur,

obitum cessit heredibus, atque tempore subsequenti hinc inde dispersa
 fuit. Paucioribus istis libris, ex bibliotheca Lutheri residuis, qui
 tamquam cimelia quibusdam in locis custodiuntur, hoc Erasmi
 apophthegmatum operis exemplar, cuius Lutherus quondam fuit pos-
 sessor, iure suo est interponendum. Ea uero, quae hic ipse beatus
 uir huius singularis libri margini passim adscripsit commemorabilia,
 cum lectore nostri studio et cupido in posteriore diatribe, su-
 premo numine approbante, nos communicaturos esse, pollicemur.
 P. P. Halberstadii, d. xv. Nouemb. MDCCCLIII.

Die Namen und Schemata der Redner.

1. Christoph Hieronymus Dube,

aus Halberstadt, redet von dem, was erlaubt ist bey dem Gebrauche der
 Gleichnisse, zur deutlichen Vorstellung der göttlichen Geheimnisse in
 unserer Religion. Nicht anders, als wenn uns die heil. Schrift bey
 Geheimnissen auf Bilder führt, können diese angewendet werden. Und
 hat daher das bekannte dreyfache Gleichniß, worunter die persönliche
 Vereinigung der beyden Naturen in Christo vorgestellt wird, seinen
 schriftmässigen Grund.

2. Christian Heinrich Gronau,

aus Croppenstedt, von der Sittenlehre des von manchen so hochgeach-
 teten Epiktets, welche bey ihrem schönsten Glanze den herrlichen Lehren
 Christi weit nachgesetzt werden muß. Der Eingang handelt von der
 unbefonnenen Vermischung der heidnischen Sittenlehre mit der christlichen.

3. Ernst Friedrich Ludewig von Windheim,

aus Ernleben, von dem, was den Kräften des menschlichen Verstandes
 möglich ist bey Ausübung der Regeln einer Staatsklugheit. Machiavell,
 Boecalinus und Grotius haben ihre politische Einsichten selbst nicht zur Aus-
 übung bringen können.

4 Carl

4. Carl Ernst Siegismund Baland,
aus Halberstadt, von dem unergründlichen Glende aller Stände, welchem auch nicht der größte Wiß eines Menschen, sondern eine göttliche Gnadenkraft, abhelfen muß.

5. Johann Wilhelm Martin Heyer,
aus Halberstadt, von dem schönen mosaischen Zeugnisse von unserm hochgelobten Welterlöser, welcher als der, vor dem israelitischen Volke hergehende, unerschafne Engel vorgestellt wird. Es gehören hieher die zwo Stellen, 2 B. Mos. 23, 20. und Cap. 32, 34. welche letztere von den Einwürfen des **Grotius** und **Clericus** kürzlich gerettet wird.

6. Johann Samuel Müller,
aus Gehoven im mansfeldischen, von der Beschaffenheit, und dem heilsamen Gebrauche der Haus- und Kirchengesänge. Hier wird von dem Ursprunge des Singens, und was dabey besonders merkwürdig ist, verschiedenes aus der Biblischen- und Kirchenhistorie beygebracht.

7. Johann Andreas Hagen,
aus Kehnstedt im hobnsteinischen, von der mehrern Aufklärung der Lehre von der Menschheit des glorreichen Sohns Gottes, aus den Advent- und Weynachtsgesängen. In dem Eingange dieser Rede wird über die abergläubischen Gebräuche geklagt, welche sich zu dem Weynachtsfeste geschlagen haben. Zuletzt wird eine Aufmunterung beygefügt, zu Weynachten, und in andern Sonn- und Festtagen, anstatt der elenden weltlichen Gesellschaften, mit gottseligen Personen in eine Gemeinschaft zu treten, und zum Preise des grossen Erlösers die herrlichen Gesänge anzustimmen.

8. Ernst Christoph Georg Einstedt,
Johann Christian Flaes, und
Johann Friedrich Schäge,
drey Halberstädter, von dem gelobten Lande, in einem Gespräche. Wenn Canaans Fruchtbarkeit ist betrachtet worden, so wird auch auf alle Einwürfe, welche Johann Toland, und andere, dargegen machen, hinlänglich geantwortet.

9. Friedrich

9. Friedrich Carl Athenstedt,

aus Halberstadt, von den mehrtheils ungegründeten Anforderungen der Menschen. Der Eingang handelt von der so seltener Tugend der Bergmüchlichkeit. Die Abhandlung zeigt die unrichtigen Vorstellungen von einem vermeinten Rechte zu einer gewissen Sache, nicht nur bey Privatpersonen; sondern auch bey denen, so von höhern Stande sind, oder doch seyn wollen. Das letztere bemerken wir an dem englischen Kronprätendenten zu Rom, und seinem Schwiegervater, dem Prinzen Jacob Sobiesky.

10. Gebhard Ludewig August Osten,

von Erleben in der alten Mark, von der Frechheit einiger heidnischen Weltweisen, welche den Apollonius Tyandus dem göttlichen Wunderthäter, Christo, an die Seite setzen. Philostratus hat in dem Leben des Apollonius sich als einen Erzlügner aufgeführt. Hingegen kan die Vortreflichkeit der Wunderwerke unsers Erlösers aufs bündigste darge-
gethan werden.

11. Julius Carl Falken,

aus Wolfenbüttel, von dem guten Gebrauche der Sprüchwörter im gesellschaftlichen Leben der Menschen. Wenn von den Sprüchwörtern in der Bibel, bey weltlichen Schriftstellern, und unter uns Teutschen, etwas ist angeführt worden: so wird gezeigt, man müsse den allzuhäufigen Gebrauch, und in der Anwendung und Zueignung derselben, alle Zweydeutigkeiten vermeiden.

12. Friedrich Wilhelm Balthasar Bergmann,

aus Halberstadt, von der Schönheit und Vortreflichkeit einer gläubigen und mit GOTT vereinigten Seele.

Die meisten dieser Abhandlungen geschehen in unserer Muttersprache, darunter die vierte und letzte Gedichte sind. Der erste und fünfte Redner thun ihren Vortrag lateinisch, und der neunte französisch. Den ewigen Gott, und allergnädigsten Herrn unsers Lebens, unter dessen Schutze alle Pflanzgärten stehen, darinnen Wissenschaft und Gottseligkeit hervor grünen, rufen wir aufs zuverlässigste an, er wolle diese unsere Uebungen mit seinem unentbehrlichen Segen krönen, damit unsere hochgeschätzte Zuhörer, welche

Liebe und Gewogenheit zu dem Schulwesen bey uns versamlet, ihre Zeit hier zugebracht zu haben, nicht bereuen dürfen.

Texte zur Musik.

Zum Anfange, Psalm 118, v. 24.

Es ist der Tag, den der HERR gemacht hat; lasset uns freuen und fröhlich darinnen seyn.

Nach der ersten Rede.

Der muß sich der Thorheit schämen,
Der, wie jene freche Junft,
Sich nicht läßt die Sinnen binden,
Sondern alles will ergründen
Durch das Meymaß der Vernunft,
Die sich muß zum Ziel bequemen.
Welch ein Strahl erschreckt die Glieder,
Wenn der Witz in GOTT sich wagt!
Was ist's, das so sehr ihn drücket?
Ach! der Fall hat ihn ersticket;
Macht ihn kraftlos und verzagt,
Wirft ihn gar zu Boden nieder.

Nach der dritten Rede.

Ihr Kronen dieser Erden,
Ihr zeigt der Welt so gern durch grosse That,
Was euer hoher Witz erfunden hat.
Bedenkt, kein Staat kan glücklich werden,
Wosfern der Gottheit Licht und Schutz gebricht.
Drum trauet eurer Klugheit nicht;
Es mangelt ihr noch gar zu viel.
Werft euch doch jenem HERRN zu Füßen,
Eilt, seinen Saum zu küssen;
Er sey eur Licht und Schutz und Arm und Ziel.

Nach der fünften Rede.

Nicht, mein Heiland, mich dein Blick
Von der argen Welt zurück,

Ms.

Ausdem blüt mein wahres Glück.
 Ruffst du mir, Komm, folge nach,
 Hör ich dich auch bey der Schmach,
 Und beym größten Ungemach.
 Wer, o JESU, dich recht kennt,
 Dich des Lebens Herzog nennt,
 Sich schon hier den Himmel gönnt:
 Der schließt dich in seine Brust,
 Der macht dich zu seiner Lust,
 Nuffer der ihm nichts bewußt.
 Nun ich wage alles dran,
 Gehts auf der gebrochenen Bahn
 Oftermals auch schon Berg an;
 Ist gleich mancher Dorn gestreut,
 Tref ich doch die Ewigkeit,
 Die mir Sinn und Geist erfreut.

Nach der sechsten Rede.

JESU, du edler Bräutigam wehrt, mein einger Trost auf dieser Erd!
 An dir allein ich mich ergöß weit über alle güldne Schätz. So oft ich nur ge-
 denk an dich, all mein Gemüth erfreuet sich.

Wenn ich mein Hoffnung stell zu dir, so fühl ich Freud und Trost in mir.
 Wenn ich in Nöthen beth und sing, so wird mein Herz recht guter Ding. Dem
 Geist bezeugt, daß solches frey des ewigen Lebens Vorschmack sey.

Nach der siebenden Rede.

Lob, Preis und Dank, Herr Jesu Christ, sey dir von mir gesungen, daß
 du mein Bruder worden bist, und hast die Welt bezwungen. Hilf, daß ich
 deine Gürtigkeit stets preis in dieser Gnadenzeit, und mög hernach dort oben
 in Ewigkeit dich loben.

Nach der neunten Rede.

Wohl uns, wenn die Gemügsamkeit
 Uns läßt an keinen Sorgen kleben,
 Vielmehr schafft, daß, was hier im Leben
 Die Vorsicht reicht, uns wohl gedeiht.
 Ein finsternes und murrendes Gemüte
 Entfernt sich dir, o Quelle aller Güte,
 Und geht mit Ach! aus der verwirrten Zeit.

Laß

Laß mich nicht scheel und sauer sehn,
 Bey wenigen und kleinen Gaben,
 Wenn andre viel und grosse haben;
 Dem freyer Wille muß geschehn.
 Ein jeder nimmt von Gottes Huld das seine,
 Auch ich von ihr, ganz unverdient, das meine.
 Wer will, was sie umsonst uns schenkt, verschmähn.

Nach der zehnten Rede.

Warum wird in der Welt so viel gelogen?
 Darum, daß jedermann
 Nicht eher ruhen kan,
 Er werde denn betrogen.
 Wird aber nur der Mensch gereizt von guten Trieben,
 So wird, was Wahrheit ist, sogleich ins Herz geschrieben.
 Wie klar ist doch der Schluß,
 Daß Apollonius,
 Und ein Philostratus
 Die Welt am Narrenseile führen,
 Doch über Licht und Recht durchaus nicht triumphiren.
 Von falschen Wundern ist bekandt,
 Daß sie nichts sind, als Narrentand.
 Der wunderbare Held aus Davidsstamm,
 Das teure Gotteslamm,
 Gibt uns von seiner Kraft ganz andre Proben,
 Wobey was göttliches sich zeigt,
 Und die, wenn jede Zunge schweigt,
 Sich durch sich selbst loben.
 Der Blinde sieht, der Lahme geht,
 Und wer den Auffsatz hat, wird rein,
 Der Taube hört, der Todte steht,
 Das Wunderthun ist allgemein.
 Beweisi, o Jesu, doch noch deine Wunderkräfte
 In unserm Geiſt, und in dem Heilsgeschäfte.

Zum Schlusse: Lob, Ehr und Preis sey GOTT u.



AB: 753875

W 78

ULB Halle

005 809 72X


3



R







B.I.G.

Farbkarte #13

IB 500 9

DIATRIBE PRIOR
QVA DE
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
APOPHTHEGMATVM
OPERE

IN PRIMIS DE HVIVS IPSIVS EXEMPLARI
QVOD BEATISSIMVS VIR
D. MARTINVS LVTHERVS
OLIM POSSEDIT
CVIQVE IS IPSE COMMEMORABILIA ADSCRIPSIT NON NVLLA
QVAEDAM DISSERIT
QVI SINGVLARIS HVIVS LIBRI IAM POSSESSOR EST
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTEL
PAST. AD AED. SPIR. S. ET MART. RECT.

SIMVL ET AB EODEM
AD EXERCITATIONEM
ORATORIAM
IN MARTINEO HALBERSTADIENSI
A. D. XVI. NOVEMB. HOR. IX. ANTEMERID. CIOICCLIII. DEO AVXILIANTE
INSTITVENDAM
REI SCHOLASTICAE CVPIDISSIMI
OBSERVANTER ATQVE HVMANISSIME INVITANTVR

HALBERSTADII LITTERIS FRIDERICIANIS.

